



16369. Auszug

DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS
VINDICIAS VIRGINVM
 QVAE
 EX VTERI VITIO SVB CONTVMELIA
 QVIDEM, SED MAXIMA INNOCENTIA
 AEGROTANT
 IN TABVLA EXHIBENS.

QVAM
 AVSPICE DEO PROPITIO
 AVCTORITATE GRATIOSI ORDINIS MEDICI
 PRAESIDE
 VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO
FRID. CHRISTIANO IVNCKERO
 PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE HVIVSQVE
 PROFESSORE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII AC ORPHA-
 NOTROPHEI HALENSIS MEDICO CONSTITVTO
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRO GRADV DOCTORIS
 SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
 MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS
 AD DIEM OCTOBR. MDCCCLXI.
 BENEVOLO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
 AVCTOR
CHRISTIAN. FRIDERIC. SCHELLHAMMERVS.
 DVBNENSIS MISNICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
 LITTERIS HILLIGERIANIS.

• Palkei



Virgines a me vindicatum iri, res vide-
ri posset superuacanea. At vero
quum **virginum** praecipuos ob mor-
bos, in quos prae iuuenibus solent im-
plicari, sine mora **innocentiae** saepe
ieiunis argumentis audacter detraha-
tur, famae autem damna in sexu elegantiori ma-
iora sint, quam quae aestimari queant, ac nulli non
virgini vel innocentissimae accidere possit fraude
aliorum falsa crepantium ac vulgantium, vt fini-
stro rumore laboret, adeo, vt iudicis saepenumero
et medici arbitri tam priuatim; quam publice re-
quirantur officia; et aequum, opinor, erit, quod
meditor, dissertatione hac auspicali saltem tentasse,
et necessarium publice declarasse.

A 2

"Aves

*Aveu προομίζει igitur, vt Areopagitarum verbo
vtar, utile hoc institutum aggrediar. Sed vero
quum omnia in tabula sim adumbratur, et lineae
tantum hic deprehendantur positae, nolis, quæsio,
Lector beneuole, amplam splendidamque tibi spon-
dere tractationem, aliis istam relinquam vberio-
rem. Interea intra praetextam a) me continebo,
vbique sermonem stolatum euitare enixe annisu-
rus, quamuis CELSVS pudorem, dicat, et artis
præcepta seruare simul, difficile non modo est,
sed etiam impossibile b). Quodsi quandoque ta-
men fieri aliter non poterit, quin verbo utar libe-
raliori, honorem aurium et ...odestiae cauffam
liceat præfari c). Fiant modo, quae instituo, fe-
liciter omnia et fructuose.*

a) *Sicuti Romanis mos erat, toga prætexta iuduere pueros, vt
ex purpurae rubore ingenuitatis pudore tegerentur. M A-
CROBIVS Saturn. VI.*

b) *Libr. VI. de re medic. cap. XVIII.*

c) *CICERO epist. ad diuersos lib. VIII. epist. XXII. Amo vero-
cundiam. - - Si dicimus de Aurelia aliquid aut Lollia, bonus
præfandus est. vid. et SENECA L. I. conf. 2.*

§. I.



De virginum innocentia vindicanda igitur omnis nostra quum sit futura dissertatio, requiritur a nobis, vt, quaenam sit *virgo*, plane significemus. Mihi ergo, dicitur *virgo* illa, quae signa castitatis vsque ad matrimonium ineundum, in quantum fieri potest, conseruat et est nullum corpore passa virum d).

§. II.

Peculiare autem et certum quodnam virginitati tempus fit tribuendum, aut quo *aetatis anno* inchoanda fit ista, longum disquirere, hic nihil attinet. Et puellae sunt virgines, de his tamen, quum sint necdum matrae venerisque ignarae, et sub specialiori parentum degant custodia, nulla instituitur sermo, sed de illis tantum, quae plenis adoleuere annis, toroque, quamuis menses necdum expertae, iam sunt vicinae. Harum quidem omnium vindicias in me non receperim, ad vnam omnes tamen nec damnauerim. Rara olim Romae in virginibus erat virtus, quae res IVVENALI satyram sextam expressit, visaque ei res sacrificio et sollemni gratulatione digna, si cui matrona pudici, vt ipse loquitur, capit is obtigerit. Sic *Aurelia* et *Lollia* inter Romanas erant pessimae *meretrices*, et patrum memoria CVIACII olim quaedam filia *capitis* erat maxime *impudici*; et sic reperiuntur istis similes et nostro tempore, quarum αφεδιαι γεν, imo καπεαν est proprium, quibus pudor et castitas tam mentis, quam corporis est veluti vestis, quanto obsoletior est, tanto incuriosius habetur

A 3

tur

d) OVIDIVS V. Faſtor.

6 DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS

tur e). Ergone autem ad vnam omnes in hac versantur culpa? Itaque Ouidiani carminis nos hac in re meminisse decet:

*Parcite paucarum crimen diffundere in omnes,
Spectetur meritis quaeque puella suis.*

Agedum igitur inquiramus, quinam sint casus, in quibus vel castissimae et honestissimae *virgines veneris suspicionem* aliis mouere possint, et quale fit *innocentiae praesidium*, videamus.

§. III.

De HERAISCO, *Aegyptio*, philosopho, memoriae veteres prodiderunt, illum potuisse mulierem prostitutae pudicitiae ab illibata virgine facillime dignoscere; illa enim verba faciente continuo ipsi caput indoluit, quia putabatur aliquid in natura philosophi HERAISCI a corporis abhorrens inquinamentis f). Sed quotusquisque est, qui de se tale quid possit praedicare et expectare? Qui non cognoscitur ex se, cognoscitur ex sociis; sic quae *virgo* non cognoscitur *per se*, cognoscitur *ex signis*. Varia nimirum *Virginitatis illuesae signa* habemus consignata, quibus illa cognoscenda sit et diudicanda. Quam fallax autem fuit HERAISCI experimentum, tam *fallax* etiam *ex signis* est *virginitatis exploratio*. Hoc igitur ut clarissime dispalefacat, et quam magna opus sit arbitro medico *in virginitate exploranda, declaranda et accusanda circumspectio*, liceat statim in-

eunte

e) APULEIUS I. apol.

f) ὅτι ἐνην τῇ τε Ήραισκε τῇ φιλοσόφῳ Φύσει καὶ τῇ μολυσμῇ τῆς γενέσεως αὐτογέμενον. Damascius apud Photium pag. 688. vid. et Suida in voce ἡλιγνῶμων Ε' Ήραισκες.

VINDICIAS VIRGINVM EXHIBENS.

7

eunte dissertatione *de dupli* tantum *virginitatis signo* quaedam in medium proferre, simulque significare, quam variae esse possint *causae*, ob *quas virginibus*, tametsi hoc vel illo, vulgari ceteroquin *virginitatis physicae signo* omnino careant, *integritas* sit *vindicanda*.

§. IV.

Vulgaris rhytmus, qui in prouerbium quasi abiit: *Est magnum crimen perrumpere virginum hymen*, liquido perhibet, *hymena* g) *praesentem atque integrum saluas virginitatis signum certum esse creditum*. Attamen inter auctores anatomicos atque eos, qui *de virginitatis signis* dedita opera separatim memoriae prodiderunt, *duplex est sententia*, dari *hymena* aiunt alii, alii vero plane illum negant h). Dari qui negant, euincere student, membranam talem in virginibus quibusdam deprehensam, *esse praeternaturalem*, qualis in *atretis* occurrat, adeoque *monstrosis* potius *concrementis* annumerandam. Dari vero qui aiunt, experientiae anatomicae exempla tam *infantum*, quam *natu maiorum* afferunt exempla, esseque membranam, afferunt, *in natura muliebri sub nymphis ante ceruicem vteri semilunarem vel perfecte circularem, superiori parte foraminulo quodam rotundo vel ouali vesicam versus eum praecipue in finem praeditam*, ut menses olim exinde permeare queant; diuersa tamen substantia constructam i), in his virginibus *subtilem esse ac tenuem*, adeoque facil negotio laedendam et rumpendam, in aliis vero *tenacem et duram, venis inter-*

g) ὁ νῦν. *Apud Suidam τὸ λεπτὸτατὸν δέρμα.* vid. et *Valesius.*
Latinis eugium dicitur. *Laberius apud Nonium c. 2.*

h) vid. *Reies camp. Elys. quaest. XXXVIII.*

i) vid. *Blegny Zodiac. gallic. a. 1679. April. obs. 10.*

8 DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS

tertextam, et ideo non *aequa facile*, nisi *vi adhibita*, *perdeundam et disrumpendam*, et *certum virginitatis illaesae esse signum* k).

§. V.

Quicquid autem horum sit, si adest in quibusdam *virginibus* tantum *hymen*, tunc *a particulari* non valeret *consequentia*, in primis quia testatur experientia, *hymenis absen iam* in adultioribus esse *praesentia fere frequenterem*. Itaque quando abest in nubibus, profecto non illico *laesam virginitatem*, quid quaeris? quando adest in quibusdam, illius *integritatem certo semper* non probat, quippe quaedam, quibus *integer mansit hymen*, siue *secundum naturam*, siue *praeter eandem illum tandem statuas, utique conceperunt* l).

§. VI.

Ad alterum virginitatis signum quod attinet, ponitur illud *in naturali quadam et essentiali muliebrium stricatura et angustia tam labiorum*, quam *interiorum cunni partium*, quae etiam in quibusdam eo intensior esse potest prae aliis, si tota corporis compages temperamenti indole est rigidior. Haec vero si abest, vti in multis id vsu venire solet, certo quidem *factam* harum *partium distensionem, ampliationem*, sed *non ubique suspectam* simul et *lasciuam per coitum cum mare amissam integritatem*, adeoque *αὐτιαν τῆς ζώνης* prodit inferendam; potest enim *accidentalis esse, morboſa, acquisita, adeoque*

k) *Crf. Alberti iurispr. medic. Part. I. pag. 60. §. 3. et 13. et supplem. pag. 407.* qui et auctorum ultro citroque rem componentium assert numerum. vid. et de Franckenau *satyr. medic. satyr. I. pag. 15 - 17.*

l) *vid. de Franckenau *satyr. medic. satyr. I. pag. 17 - 24.**

que omnino honesta. Et in eiusmodi honesta genitalium laxitate in despontatis sub primo congressu illorum *cruentatio* non exspectanda, adeoque nec ex eiusdem defectu certum veneris furtuæ laesaeque virginitatis antea factæ signum patet constituendum.

§. VII.

Et mille virgines credunt, se esse omni integritate ornatas, quum et pleraque hymenis et genitalium stricturæ plane sint ignarae. Evidem illis accedo, et cuius sponso, sponsam hac de re accusanti, non esse statim fidem statuo habendam. Fac, in omnibus virginibus esse hymena et naturalem quandam genitalium stricturam oportere, qua tandem ratione, quum multis variisque hae partes iniuriis et laesionibus sint obnoxiae, poterunt olim illarum integritatem sponso inclinaturo conseruare? Etenim facillime subtilis huiuscemodi rumpit membrana, varioque modo omni genitalium compagi accidere potest honesta laxitas et maxime insens. Non parum hic conferre potest ipse *in ressus*, quidni *curvitationes*, *saltationes*, et quae sunt aliae huius census caussae. Ita aliae virgines honestissimae, quae praegressos ob morbos *emollientibus* frequenter *balneis*, *thermis* vsae sunt suasu medicorum, futuris maritis nec hymena, nec genitalium angustiam possunt praestare. Et nec istae quidem, quae post *mensium fluxum genitalia humectatione semper immoderata abluere* consueverunt. Apprime hanc rem casu peculiari illustrat beatus et olim noster ALBERTI m) hunc in modum: Cicerii cuiusdam filia viro iuueni apud parentem ad tempus quoddam profitenti et sua opera ceteroquin ibi bene

B meri-

m) vid. *Iurispr. medic. P. I.* pag. 74.

merito nupserat; primo autem congressu quum iste in illius genitalibus deprendit flacciditatem, amissae iam antea virginitatis ipsi mouit suspicionem. Suspicionem mariti, quam diserte postea multa cum indignatione obiecit, optime sibi conscientia ferens patienter nulla ratione se purgare curauit. Tandem vero rixarum pertaesam parentibus aperuit, qui filiae maritum coram quidem de ipsius castitate erudiunt; sed quum non frugis esset, res defertur ad iudices et medicos arbitros. Insponsis autem declarata veneris furtivae suspicione plane exsoluitur. *Innocentiae praesidium* erat praeter vitam ante actam castam, et temperamentum laxius et succulentius, phlegmatico-sanguineum, quod in professione, cui diligens parentum voluntate interfuit, frequentius medio corpore, nudis pedibus modo in *calida*, modo in *frigida aqua consistens* collaborauit. Ideo *genitalium laxitas crebriori aquae admissioni adscripta et honeste acquisita* est habita. Quid non hic turbat nimius mensium fluxus ipse, in primis *acrior*, *fluor albus* vel in puellis obuius, in virginibus *chronicus* non adeo infrequens et *malignitatis speciem* non raro praese ferens, ut adeo vel in his sat caussae occurrat, quam ob rem *hymen rumpi* et *muliebria laxari* queant. Et quae non iniuriae fieri possunt genitalibus *cacochymia*, *cachexia* et ipsis genitalium affectibus, *ulceribus acribus*, adeo ut saepe manu chirurgica opus sit ad *turundas* et *iniectiones* applicandas. Et talia mala his partibus accidere possunt *lapsu*, quo in pratis aliisque in locis muliebria possunt multa ingredi, intrudi ad laesiones grauiores inferendas. Et quid dicam de *virginum molis*, quarum exclusione et *haemorrhagia socia* fieri aliter non potest, quin hymen, si adest, rum-

rumpat omnesque partes mirum laxae reddantur. Unicum tantum, quum infra de illis explicatius sim dicturus, afferre liceat exemplum. *Doctor WOLFFIUS Dresdenensis, in ephemeridibus N. C. Büchnerianis* refert de virgine casta, quae singulis mensibus sub catameniis molas pugni magnitudine exclusit. Post initum autem matrimonium primo mense grauida facta est, et molarum excretio cessauit, ac consueto tempore peperit filium. Dic quaeſo, qua tandem ratione maritus in hac hymena et genitalium arcturam potuerit postulare?

§. VIII.

Expendamus ergo, quoad eius fieri potest, breuiter, quinam eiuscmodi sint potissimum morbi, quorum indole aliis, pleraque ex opinione et suspicione aestimantibus, innocentes solent integritatis laesae dare suspicionem. Sexus sequioris genitalia secundum natu-ram ita sunt constituta, vt in eorumdem interioribus, in vtero ipso, in vagina, tunica eius glandulosa semper colligatur aduecta quaedam materia lubrica, mucosa, et per glandulas ibidem ad partium harum non exiguum secernatur commodum; etenim haec si deficeret, par-tes fierent nimis aridae aliaque varia ipsis acciderent incommoda. Si vero vterum vniuersum, cuius stru-cturam anatomicam dedita opera hic pono praecogni-tam, mente recolimus, eiusdemque numerosam vaso-rum copiam, arterias et venas spermaticas ouaria con-tingentes ac in fundum ipsius copiosissimis, per anasto-moses inter se vnitis, ramificationibus euntes ramos ar-teriae et venae hypogastricae ad medium vterum et in-fimum, nec non ad vaginam permeantes reputamus,

B 2

vaso-

12 DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS

vasorum peculiarem omnino, vti ipsius vteri, structuram deprehendimus atque artificiosissimam. At vero quum vterus certo tempore hæmorrhagiæ naturali sit destinatus, et sanguis in illum e diversis locis influat, vasa autem ipsius sanguifera per ejusdem corpus disseminata mirum in modum incuruato flexu & anfractuoso discurrant ac coëant, dilucide patet, tardius vtique sanguinem progredi, facile eundem ibi cumulari, et hinc aequalem fibrarum vteri constrictiōnem et remissionem inde laedi ac debilitari, quia per circumflexa vasa sanguinis aliorumque humorum cursus lentiorem quoque per venas, valvulis, si a paucis spermaticarum discesseris, destitutas reddit regressum. Itaque facili vti que negotio sieri potest, vt non solum stagnationes et infarctus in vtero oriantur, sed et a vitiosis humoribus deinceps ipse laedatur vterus. Quod si vero ob humorum copiam ac eorumdem aliquod vitium aut partium abdominalium et vterinarum laesionem qualemcumque scirrhosam, ulcerosam, congestio fit huc largior eaque stabilis; secretio etiam materiae mucosae oritur solito copiosior: hinc aequilibrio remissionis et constrictiōnis sublato in fibris vterinis, larga per genitalia praeter ordinem naturae consuetum consequi potest excretio; quum enim vasa congestos non capiant et seruare possint humores, fieri aliter non potest, quin humores serosi et mucosi copiose congesti, ob lentum sanguinis progressum, per orifica vteri et lacunas et foueas vaginae, quarum plures sunt in tota ejus substantia, exitum sibi parent atque etiam actu effluant. Hinc perspicitur, per

antea

antea posita fieri posse, vt virginibus aequa ac maritatis
fieri et muci ex vtero ejusque vagina aliquando eueniat
profluviu[m]. Magna copia et saepenumero aut continuo
si eiusmodi contingit effluxus, non finem tantum na-
turae ordinarium tollit, sed vires quoque, functiones
naturales destruit, obestque sanitati, adeoque fit mor-
bosa excretio, appellaturque in scholis nostris **FLVOR**
ALBVS, et quidem **BENIGNVS**, quia a longe aliis cau-
sis, quam a veneris contagio intra corpus inuecto, exo-
ritur. Et quamvis ratione curationis, de qua tamen
hac dissertatione agere non est animus, interdum sit
malignus, et maligno nonraro, in primis ille abstensorius,
fiat malignior, ob receptam technologiam nomine ta-
men erit benignus, more autem malignus citra labem
venereum. (n) Quae momenta si capitulatim et stri-
Etim colligamus, est **FLVOR ALBVS BENIGNVS**
materiae mucido-serofae magis minusue corruptae ex-
cretio. per vaginam vteri ob specialem et stabilem sae-
pe ad partes glandulosas congectionem tonumque ea-
rumdem inde nimium relaxatum contingens.

§. IX.

Huic fluori quidem benigno *aetas* vt plurimum
confitens est obnoxia, ita vt pauciores huius aetatis fe-
minae sint excipiendae, quae non aliquando illum ex-
periantur, maxime hystericae et menfium ataxiis obno-
xia, illorum cessationi proximae, aut tempus eorum-

B 3

dem

n) vid. **GEORG. HENRIC. STAMMLERI** dissert. sub praefidio b. **Il-**
lustr. JVNCKERI ventilar: de fluore albo, titulo quidem et or-
tu benigno, curatione autem saepius maligno.

pem iam egressae, et finis mensium saepe initium et hu-
ius mali. Imo quaedam feminae nec graviditatis et pu-
erperii tempore ab illo sunt immunes. Licet autem
plures rationes sint et circumstantiae, ob quas feminae
et viduae malo huic subiificantur, teste tamen experien-
tia et *castae virgines* eo saepius tempore, quo *menstruis*
sunt *proximae*, aut quo illa euenire deberent, *decimo*
tertio vel quarto aetatis anno, solent *albo fluore laborare*.

(o) Sunt plerumque illae, quarum habitus corporis,

o) Interea tamen et *hac lupra posita aetate adhuc iuniores*, id
quod **HIPPOTATES** suo tempore L. II. de morbis mulierum
iam annotauit, non sunt excludendae. Reperiuntur etiam
apud recentiores eiusmodi observationes, licet non adeo fre-
quenter, de *puellis* et *inuenculis vix sex*, *septem octove an-*
nos, vel adhuc *infra natis*, quae hunc fluorem sunt perpe-
sae. Vid. **HOECHSTETERVS** in obs. Decad. III. obs. I. pag.
294. additque, *Augustae Vindelicorum puellis esse familiarem*
bunc fluorem. **RODERICVS A CASTRO** L. I. de morbis mul-
ierum. Cap. **XIII**. Act. **HAFFN.** Vol. I. obs. 83. **EPHEM.**
N. C. cent. I. append. pag. 202. **DETHARDING** et **DOLAEVS**,
ille in **M. N. C. append. cent. I. et II.** pag. 193. hic vero en-
cyclopaed. medic. L. V. cap. **III**. pag. 889. hunc fluorem *in*
puellis praeter aetatis rationem contingentem declarant, esse
speciem coryzae uterinae, voluntque, ipsum cum illo, qui
in adultioribus occurrat, non esse comparandum. At in his
plerumque vitium *abdominis* qualecunque, e. gr. *mesaraicum*,
significat, adeoque est *abstensorius fluxus*. Interdum vero
iunt, quae ex *impuro coitu* natae vel a *suspecta nutrice* sunt
laetatae. vid. **FERNELIUS**, L. VI. *patholog.* cap. **XVI**. *de*
partium morbis et symptomatibus. **PECHLINVS** L. I. obs. 34.
item **M. N. C.** Decad. I. a. 8. obs. 25. a. 11 et X. obs. 28.
Decad. III. a. 7 et 8. obs. 140.

et neruis et fibris minus solidis, sed laxioribus, atque humoribus impuris et serosioribus abundantibus est instrutus.

§. X.

Dolenda profecto sunt virginum fata vel ob hunc morbum; non leues enim castis virginibus olim factae sunt iniuriae. In vulgo quidem numquam est quicquam modicum, multa apud illum valent sine ratione: sed viro bono, prudenti medico artisque perito et exercitato nihil esse cum saliuia vulgi oporteret. Sed tamen non defuere vel ipso medici, qui *fluorem album in nulla virgine*, quae ad maturitatem peruenit, locum habere statuerunt *citra veneris contagium*, inter quos facile princeps fuit MONTANVS, (p) vtpote qui sua, qua erat, auctoritate non iis solum, qui coram in schoulis ipsi dabant operam, sed et aliis, qui aliunde ab ipso discebant, maxime hac in re obtuit; ideo non adhibebant in observando iudicium ipsius discipuli, sed id tantum habebant ratum, quod a MONTANO, quem vnice probabant, iudicatum et audiuerant et legerant. Tantum apud illos opinio praeiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret illis auctoritas MONTANI, atque illud, quod.

p) IO. BABTISTA MONTANVS, Veronensis, philosophus et medicus in Patauina academia, suo tempore clarissimus. Mortuus i' DLI Aprili exeunte in patria. Veronae tantae auctoritatis erat, vt in eum GALENI animam transuolasse paene creditum fuerit. vid. THVANVS L. VIII. Interim de ipsius laudibus legatur CRATO apud SCHVLZIUM epist. medic. 101.

quod de PYTHAGORAEIS refert acceptum CICERO, (q) verum etiam de ipsis esset, si quid affirmabant in disputando, quum ex illis quæreretur, quare ita esset, respondere solebant: IPSE dixit; IPSE autem erat MONTANVS. Et quum experientia hac in re alia omnia edocuit, iure in MONTANI sententiam HOECHSTETERVS l. c. et RODERICVS a CASTRO c. l. sunt inventi, additque hic, *se in Hispania et Germania curasse honestissimas ac famae integerrimae virgines, quibus per triennium hic fluxus molestus fuit, priusquam menses rubri prorupere.* Et quasi vero virgines omnes omnino pari modo, vt meretrices, et non longe dissimiliter hoc morbo aegrotarent.

§. XI.

Et omnino castae virgines p̄ae meretricibus longe dissimiliter albo fluore laborant. Etenim huius mali sedes est vterus cum partibus connexis, et ex vteri fabrica anatomica et vasorum structura clarissime patet, per eadem vasa, vias et poros materiae mucidae fluxum contingere, a quibus ipse fertur sanguis menstruus; et deinceps constat, e pathologia, causam proximam fluoris albi benigni, vti supra iam significauimus, recte in speciali humorum ad vterum congestionē ac tono fibrarum et vasorum genitalium inde drecto, ac circuitu sanguinis per vasa factō impeditiori, quo serum et mucus ab ipso seiungitur, esse ponendam. Et quum id fiat ob duplēm potissimum causam, aut ob mensum emansionem, difficultem perruptionem, non legitimum nec satis ordinatum

q) Libr. I. de natura deor. cap. V. pag. m. XI.

tum eorumdem fluxum, obstructionem, ad quantitatem simplicem siue spissam imminuendam et corrigen-
dam, aut ob vitium viscerum abdominalium, vteri,
qualecunque ad vitiosam hanc qualitatem vel scirrhosam
vel ulcerosam abstergendam, imo interdum ob vtram-
que, est sane perspicuum, nullam idoneam adesse rati-
onem, cur virgines castae, quum aequa ut feminae sint
formatae, et praeter graviditatem, gestationem et puer-
perium pari modo possint aegotare, hoc molesto mor-
bo sine veneris contumelia non afficiantur, id quod
phlegmaticae et chloroticæ optime contestantur. *Vir-*
gines quidem non adeo frequenter, quam *maritatae*
fluore albo laborant; saepius tamen, quam in medici-
veniat notitiam, eumdem ipsis accidere, profecto ex-
periremur, nisi pudor intempestivus aliaeque rationes
nonnullas a confessione retinerent: siquidem prae illo
pudore vel de aliis genitalium malis, quae tam ab atax-
iis mensium, quam ab ipso fluore albo, in primis chrono-
nico et habituali, sunt inuecta, suo periculo et detri-
mento medicos solent celare. Etenim quando in vir-
ginibus fluxus menstruus difficulter perrumpit, aut
tandem perruptus recto ordine decenti quantitate non
semper procedit, omnino sanitas illarum vacillat, vasa
vterina per congestiones nimiis atque etiam impuris,
corruptis ob stagnationes complentur humoribus; hinc
cachexiae vterinae adest *initium*, et facilis via, vti ad va-
ria alia *hysterica mala*, ita quoque datur *ad fluorem al-*
bum, in primis si accedunt *cauſae mediatae remotores*,
quae, posita cauſa proxima, humores vel magis adau-
gent, vel reddunt multo simul vitiosiores.

C

§. XII.

§. XII.

Itaque si strictim reputemus, quaenam *caussae meditatae remotiores* possint *virgines a venere alienas* huic *fluori* subiicere, huc referre debemus *lautam diaetam, vitam otiosam, sedentariam cum nimia somni indulgentia*. Hinc observare licet, virgines vilioris fortis tam urbanas, quam rusticanas ob motum et laborem, quo nimios humores et impuros consumunt, et corpus omne efficiunt firmum, fluori huic non admodum esse expositas. At vero in locis frigidioribus, humidis, paludosis et simul humilioribus, vappidis, quae aër serenus, purus, non satis potest purgare, accedente in primis αδδηφαγια cruda et potu parciore, vti in pauperibus fieri solet, et laboriosis virginibus sine veneris suspicione accidere solet hic fluor. Dici enim non potest, quam facile aër frigidus et humidus partium tonum relaxet, et quam difficulter cibi viscidi, praesertim copiose assumti, resoluantur et digerantur; chylum enim proferunt crudum et glutinosum, qui ad assimilationem et nutritiōnem non idoneus spissos et impuros corpori affert humores materiamque fluorи albo suppeditat eo largiorē.

§. XIII.

Praeterea obseruamus; *excretionem catarrhōsam suppressam* sequi interdum in quibusdam virginibus *vterinam*, licet necdum per aetatis rationem caussae adsint, a quibus sanguis ad vterum congeratur. Sic quibus virginibus per nares mucosae destillationes familiares et frequentiores sunt, in illis facile citra salacitatem et *veneris pruritum* oriri potest fluor albus, ita vt mucus,

uti

uti antea per nares, ita iam per vaginae vterinae glandulas sibi paret exitum. Fieri illud, praeter alios obseruatores confirmat idem GOHLIVS exemplo puellae undecim annorum, tenerae constitutionis, quae per quatuor annos continuo hoc fluore albo et non interrupto laboravit *e coryza habituali ad genitalia devoluta* r). Et haec res quoque non praetermittenda est in virginibus, fluore albo laborantibus, in quibus natura materiam peregrinam, impuram, vna cum mensibus excernere consueuit; etenim his obstructis non parum fluoris albi pertinaciae confert materia illa peregrina, quae per fluorem album, mensum iam vicarium, simul vacuatur. Evidem non sum in ea sententia, qui sanguini menstruo cum priscis quibusdam medicis generaliter tribuam qualitatem venenatam, s) sed ut plurimum bonum esse statuo t). Interim nulla regula sine exceptione. Ita omnino, si dicendum, quod res est,

C 2 de-

r) vid. eius compendium praxeos clinicae, L. VI. cap. XXIV.
de fluore albo, §. 2.

s) vt LUDOV. BONACIOLUS, *Ferrariensis*, tract. de foetus formatione; PARACELSUS de pestilit. tract. I. c. II. p. 351 seqq. edit. Argent. 1609. fol. it. de conserv. rerum natural. L. IV. pag. 889. ARNOLDUS de Villanova in breuiar. practic. T. I. L. III. pag. 571. edit. Basil. a 1585. fol. Mira quidem, sed fabulæ.

t) Nutrices menstruatae infantibus mammas praebent sine detimento. Testatur etiam sub graviditate foetus nutritio, et si quando est impurus sanguis, natura optima medicatrix, uti a malis praeseruat, ita peculiari modo sanat. Sic etiam nouit foetum a qualitate sanguinis vitiosa conseruare et optimo nutrire, id enim si non esset, pauciores sani excluderentur infantes.

deprehendimus, in quibusdam virginibus, menstruum sanguinem non semper ab omni impuritate admixta esse vacuum, (u) et tunc veterum denominationem, die monathliche Reinigung, optime sibi vindicare. Sed non est sanguis sanus, prodit statum sanitatis laesum, et multae virgines, si hoc naturae beneficio non gauderent, aliis malis grauioribus eo citius fierent obnoxiae. Interim fluore albo adfectae prae reliquis grauius laborare solent. Et quum menstruatae odorem e faucibus per os et aliunde maxime ingratum spirent, fieri aliter non potest, quin sub fluore albo adhuc grauiorem spar-gant, siquidem materia excreta interdum ita est comparata, ut genitalia erosione et exulceratione laedat sine ullo veneris contagio. Maxima hinc cautione opus est, ne in insontes virgines iudicium praecipitemus et castas

non

u) conf. MVRALTO in M. N. C. Decad. II. a 7. obs. 107. pag. 171 et in scholio. Hinc symptomata et consecaria alias mensium obstructorum non semper soli sanguini regurgitanti, sed materiae eiusmodi peregrinae cum illo coniunctae et una solitae vacuari, catarrhosae, scabiosae, scorbuticae reliq. sunt adscribenda. Quid enim scabies, ulcera, pruritus, purpura menses obstructos consequentia sibi volunt? Beatus SCHMIDIVS in relationibus suis Berolin. medicis P. III. hebdom. 10. ponit sibi quaestionem expediendam: cur ulcera intibiis adeo difficulter possint sanari? et repte inter alias causas in sexu sequiori esse pag. 67. dicit mensium obstructionem; materia enim peregrina cum menibus ante vacuata scilicet tantisper eiicitur per eiusmodi ulcera, dum illis congruae demum reuocatis deinceps denuo queat innocue excerni ulcerisque curationem reddat eo facilem. vid. et RIEDLINVS in milletar. observ. 159. pag. 472. PAVLLINI obs. cent. II. obs. 68. pag. 246. FRIE in M. N. C. Dec. I. a 3. obs. 62.

non subductis rationibus pro meretricibus habeamus.

§. XIV.

Ad veneris contumeliam a virginibus fluore albo laborantibus auerteudam, innocentiam et castitatem ipsis adjudicandam non parum vtilis interdum est BAGLIVI observatio, quae docet, qua ratione queas fluorē benignum a maligno internoscere, his verbis: Pete a muliere, an tempore mensium fluor ille albae materiae adsit; si dicat, quod sic, significato eidem, quod morbus, a quo diuexatur, sit gonorrhœa gallica: si vero durante menstruatione fluor albus euanescat, et eadem finita denuo regreditur, pro certo babeas, mulierem fluorē albo vterino laborare. Ideo hoc semper et in virginibus est obseruandum. Etenim in plerisque ita fieri solet, vt ad hanc obseruationem possis facere iudicium. Interdum tamen signum hoc est fallax, siquidem attentis obseruatoribus non potest esse obscurum, in quibusdam subiectis citra contagium venereum etiam sub ipsis mensibus fluorē hunc prouenire et cum iisdem progredi. Materia excreta in his oportet innocentiam declarare, et vitae modus, si illum animi castitas semper definiuit. Si materia non est ichorosa, saniosa acris, foetida, vtpote quae in benigno fluorē vt plurimum abesse solet. Non tamen omnis saniosa materia indubium semper prodit fluoris maligni signum; in quibusdam enim, paucis quamuis numero, abscessus et vlcera inde gignuntur sine ullo contagio ab impuro coitu contracto, hinc non omnis erosio et exulceratio infallibile malignitatis, signum, quia in benigno aliae admistae impuritates, serum scorbuticum, eam acrimoniam possunt nancisci, vt vicinas

C 3

par-

partes exulcerent cum insigni genitalium pruritu. Superficialis tamen haec est exulceratio, quum miasma venereum non prostatas solum glandulosas, sed etiam vaginam vteri cum insigni dolore exulceret, benignior remque illa admittat curationem, quam haec contagiosa. Et copia materiae effluentis in maligno longe minor est, quam quidem in benigno; tanto vero acrior in illo et cum intensiore ardore et dolore iuncta, et quum menses fluunt urinaque redditur, ubique permanet. Adeoque peruidemus, si veritas sit inquirenda et innocentia quarumdam virginum sit diiudicanda, quam facillimum in eiusmodi casibus esse errorem. Si igitur omnes circumstantiae accurate non possint examinari, nec vitae ratio certa et indubia veneris signa suppeditet, iudicium potius cohibendum, quam suspicione facendum, et curatio ita instituenda, ut utrique fluoris satisfacias. Virgines *fluore albo habituali* laborantes ob stabilem congestionem et perrennem impuritatum serofarum decubitum et tonum vteri vehementer inde laxatum habent interdum *vterum procidentiae et inuersioni*, obnoxium aut saltem *vaginam relaxationi* subiectam. Caudendum igitur, ne eiusmodi virgines, quibus ista calamitas ab hoc morbo chronicō demum accidit, indicta causa, praecipiti sententia existimes meretrices, quae ab abortu tale quidpiam fuerint passae x). Et denique

in

x) confer. ILL. BOEHMERI dissert. de prolapsu et inversione vteri eiusque vaginae relaxatione. Exemplum reperies satis notabile in praefatione pag. 4. vbi pag. seq. addit: Alta admiratione dignus erat locus iste humilis, quo veritas confirmaretur, accidere saepius in virginibus eiusmodi prolapsum vteri completum, a reliquis vulgo dictis vteri procidentiis differentem, reliq.

in universum a fluore albo maligno exulcerationem uteri internam et hinc pendentem ichoris et purulentae materiae fluxum et manationem perpetuam secernere et internoscere. Cae existimes, benignum fluorem transisse in malignum; malignus quidem est more suo, sed non ortu venereo, tametsi putrida praefit materia et exulceratio. Et quemadmodum omnis fluor albus abstorsius, ita hic vel maxime nullas servat periodos, sed continuo ex uteri vagina profluit, comite febre hectica, corporis contabescentia, internis profundis in inguine coniunctis ardoribus, qui et totum crus eiusdem lateris saepe in consensum trahunt, et hoc malum in hysterics determinatis optimae medicinae facit ludibrium et febris hectica iustum affert falutis desperationem.

§. XV.

Sed coram iam virgines contemplemur. Heraifcus, cuius supra mentionem fecimus, meretrices a virginibus castis internoscere potuit loquentes, nos iam faciamus periculum, vtrum e facie virginum possimus quidpiam deprehendere, quod amorem prodat venereumque significet.

quum faciem videas, videtur esse quantius pretii. y) Inest faciei humanae singulare quoddam varios, qui intus contingunt, motus significandi; et tantum abest, vt simulatori, quantumuis excellentiori plane sit integrum, aliter, atque animi ferant motus, vultum compонere, vt potius cutis in facie color animi et cordis motibus obsequatur et lineamentorum mutatio praeter

VO-

y) TERENTIVS in Andria.

24 DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS.

voluntatem promte consequatur z).

Heu quam difficile est, crimen non prodere
vultu a).

Licet ipsa neges;
vultus loquitur, quodcunque tegit b).

Quum fieri nequeat, vt motus animi vultu non significentur, ita similiter obseruamus fieri non posse, quin illius valoris, quo morbos vel imminentes, vel inchoantes, vel perficiendos, siue sanitate, siue alio schema te, siue denique morte exeuntes discimus, quaedam in facie signa cognoscamus. Et quem admodum totius faciei compositione vt signo morborum, ita etiam eiusdem colore separatim vt signo vtimur. Facies vt sanitatis index esse possit, duo potissimum sunt, quae illam commendant, scilicet vt graeci auctores expressere, *Tò παχος*, plenitudo, *και εὐχειος*, et coloris praestantia, et vt est apud HIPPOCRATEM in Coac. praenot. *εὐχροιας προσωπις*, et GALENVs interpretatur, *προσωπου ευανδες*, facies florida, hoc est, ubi color elegans, gratus et vitalis in cute faciei ita exsurgit, vt laeta omnia et iucunda spiret, et sanguis per genarum et labellorum cuticulam pellucet, oculi iucunde et modeste patent, viua omnis cutis appet explicatio ac muscularum aequalis et con-

gru-

z) considera in tristibus *αδυμιην μετά σιγης*. HIPPOCR. coac. Praenot. *Βαρυπνοιαν, δειματα και περιβλέψεις. σκυδροπές*. Et quae non signa *Θηριώδες πάθημα*, affectus ferinus, ira, prodit in vultu? confer. HIPPOCR. L. II. epidemic. sect. V. et VI. et verba CICERONIS, quae habet de orat. Lib. III. cap. 59, Animi imago vultus est, indices oculi. - - motus animorum declarandos dedit.

a) OVIDIUS metamorph. L. II. v. 447.

b) SENECA in Hercule Oetaeo. v. 704.

gruens ad mentem sanam compositio. Haec est facies
venusta dignitasque, vt ait CICERO. Ita e contrario
itidem duo potissimum offenduntur, quae in morbis
ad faciei colorem valent designandis, Τὸ ἄχροον, coloris
natiui, modo descripti, defectus seu pallor, et τὸ κακό-
χροον, turpis coloris et vitiosi praesentia. Illud obserua-
mus et in virginibus post immodicas sanguinis profusi-
ones et naturales per nares, per uterus, per anum,
et artificiales per venae sectionem cet. hoc autem con-
stat muco viscido, viscera obstruente purpuramque fa-
ciei vitalem et floridam vehementer pallido colore, et
corpus tumido habitu inficiente, et vocabulo technico
audit *cachexia*. Atque in virginibus ratione coloris faci-
ei varium quid saepe obseruamus, dicarne *flavum*, an
viride, quod *pallido* interlucet *colori*, et appellatur *Chlo-
rosis*.

§. XVI.

Chloroseos nomen c) iam inde ab aliquot retro sae-
culis terminologia medica donatum est atque ex modo
dictis appareat, illam a *cachexia* non adeo vehementer
differre, sed huius esse *speciem*, et medium quasi locum
inter *dispositionem* *cachecticam* et *cachexiam plenam* per-
fectamque occupare, vnde etiam a quibusdam *cachexia*
virginum dici consuevit.

D

§. XVII.

c) *Chlorosis* descendit a graeco χλωρός seu χλωρός et per crasin
χλωρός, viridis instar herbae, et hoc a χλώα, χλώη et ionice
χλωίη, herba virens, herba ad maturitatem perducta inter-
mixta flavedine virens. An vero vsu medico chlorosis vi-
rorem in album exeuntem, an flauum albo mixtum τὸ χλω-
ρὸν indicet, dubium moneri possit illi, qui diuersos huius
vocis

§. XVII.

Superiori memoria creditum est, *virgines pallidas veneris esse cupidissimas*. At enim vero, quum significandi valor, quo vultus mentem docere dicitur, non adeo sit exploratum, vt nulla exceptione egeat d), ita in προσωποσκοπίᾳ medica idem valet, et non illico sequitur, haec *virgo est chlorotica*, ergo *amat*; sed in per risque, quum non omnium caussam dicere susceperim, longe alia subest ratio.

§. XVIII.

vocis significatus, quos FOESIUS oeconomia HIPPOCRATIS ad vocem χλωρὸν collegit, curatius considerat. ARETAEVS de morbis chronicis L. I. cap. 13. viscerum labe, in primis hepatis vitio laborantes appellat χροιη χλωρίας, colore, instar herbae flauedine virentis infectos. Et quum Graeci ietericis consummatis, ex luteo in herbaceum colorem tendentibus, τὸ χλωρὸν designant, et non multum discrepant ab ietericis chloroticae, adeo ut vel ieterus albus dicatur chlorosis, quandoquidem et in chlorosi et ietero Epar labore, et utriusque interdum respondeat hydrops, nullum est dubium, hac voce τὸ χλωρὸν significari virorem albo intermixtum seu faciem παρὰ τὸ ἐνχλωρθεῖσαν apud HIPPOCRATEM. Blas, grasgrün vnd vermischt Gelb. Et peculiaris coloris mixtura est, si chlorosis cum ietero est coniuncta, vel hic illam consequitur, id quod interdum solet fieri.

d) Ut malum omnino eum esse oporteat, qui toruum videt, et bonum, qui liberali est vultu et ingenuum spirat. SOCRATES, homo facie turpis; licet ZOPYRVS, physiognomon, tardum, stupidum esse et meticulo sum suspicaretur SOCRATEM; nihil tamen omnium in illo fuit. Scilicet

30-

§. XVIII.

Factum hoc propterea est, quia veteres hoc malum ad *virgines* tantum *aetate maturas, mensibus proximas*, quae eorum *emanione*, aut, si adfuerint, eorumdem denuo *obstructione* vexantur, proprie pertinere, sibi habebant persuasum, quum tamen *puellae* infra maturitatis annos degentes, (e) *viduae et feminae* in matrimonio viuentes, data caussa occasionali, a chlorosi plane non sint liberae. Interea tamen non ab utero et mensium vitio ipso qualicunque, sed potius in vniuersum hunc morbum ab illo humore, e prostatis et reliquis glandulis vaginalibus proficiscente, quem immerito seminalem arbitrabantur liquorem, vnicet deriuarunt; etenim illum liquorem, posuere, nisi detur ipsi excretionis occasio, stagnantem, corruptem et in sanguinem postea redeuntem sanguinis massam instar fermenti

D 2

ti

ZOPYRVS profitebatur, se hominum mores naturasque oculis, vultu, fronte pernoscere, dictus propterea physiognomon; qui quum haec turpia de *SOCRATE* dixisset, a multis ideo deridebatur; Interim modeste *SOCRATES* respondit: Non errat *ZOPYRVS*, huiusmodi enim natura essem, nisi naturam philosophia superasse. vid. *TOB. MAGIRI*, prof. olim Francofurtani, *Eponymologicum criticum*. Ita πρότωπον ἐργαμένον, facies lana, sanitatem non semper indicat.

(e) vid. *BORELLVS IIII*, 54. de puella VIII annorum. *DE THARDING* in append. N. C. Cent. I. pag. 186. de puella totidem annos nata. *SCHVRIGEN* in *parthenol.* pag. 135. e zodiaco gallico assert puellam XI annorum. *REIMANNVS* in den *Bressl. Sammlungen* 1726. mense Martio pag. 294. etiam puellae VIII annos natae meminit.

ti inficere omnem, cutis colorem immutare viscerumque plurium functiones turbare, adeoque proximam chloroseos caussam praebere virginibus et viduis, venereum non exercentibus, illius tamen cupidis f). His igitur rationibus adducti virginibus et viduis matrimonium ineundum, remedium amissae pulchritudinis sanitatisque recuperandae optimum, commendare consueuerant g). Evidem virginibus quibusdam chloroticis initum medicinae loco fuisse matrimonium, et, si conceperint ac pepererint, sanas illas evasisse, non inficiamur; sed id tantum quaerimus, vtrum in omnibus venus sit morbi caussa, ac proinde veneris usus sanitatis semper fiat remedium? Id enim si ita se haberet, non saepae contrarium ederet effectum matrimonium; Non autem illum hic chloroseos gradum intellecterim, ubi partes solidae neandum sunt saluae, hepatis adest obstructio, adeoque perfecta et in hepticam prona cachexia, ibi saltem nec matrimonium, nec medica auxilia statum reddent meliorem.

§. XIX.

Non rectius, opinor, rem expediemus, quam si, quid proprie sit chlorosis, iam significemus. Est autem chlorosis elegantis et rubicundi coloris in omni corpore, praesertim in facie, in pallidum virorem mutatio,

cum

f) cfr. SLEVOGTI dissertat. de femina chlorosi laborante.

1704. §. 8.

g) HIPPOCRATES de morbis virginum. A. N. C. Decad. II. a 8. obs. X. pag. 38. seqq. cent. V. pag. 370. chlorotarum virginum solatium mas. a. VIII. obs. 114. pag. 191.

cum virium defectu, anxia respiratione multisque aliis saepe symptomatibus coniuncta, ob vasa fluxui menstruo inservientia necdum satis peruvia, factaque abundantis inde versus venam portae et hepar sanguinis, ut plurimum mucido-serosi ei lenti, restricti obstructione oriunda. Nos germani appellamus die Bleichsucht, die Missfarbe, die Jungfer-Kranckheit, et Galli la pale maladie, les pales couleurs. Bataui Maagde dickten, Vipsters, et Angli the green siknes. Nostrum denique, das Liebes-Fieber, non in omnibus valet, quia non semper commotiones febriles coniunctae sunt.

§. XX.

Virgines huic malo prae aliis obnoxiae sunt potissimum *succulentae* et *plethoraicae*, in quibus sanguis lentus est et iusto spissior et *plegmatice*, *cacochymicæ*, in quibus praecipua sanguinis dyscrasia, lymphæ in primis impeditior obseruatur depuratio. Et ita posita in his humorum spissitudine et dyscrasia, horumque circa ventriculum, intestina et viscera abdominalia congestione, chylus corrumpit, et deinde per vasa lactea in sanguinem transiens et cum eo mixtus illum parte balsamica suppressa reddit serosum, crudum, viscidum, acrem et tenacem, et ad excretionem plane ineptum, vnde fieri non potest, quin viscerum, mensium emanatio, obstructio sequatur in primis in illis, in quibus vasa sanguifera vteri et vaginae per se necdum ita sunt aperta et referata, quo sanguinem, ad excretionem destinatum accipere et fundere possint. Hanc vero humorum depravationem, viscerum obstructionem, atque oeconomiam motuum subuertendam etiam atque

D 3

etiam

etiam adiuuant aliae *caussae procatarcticae*. Quarum
praecipuae potissimum sunt 1) *Animi moerores*; 2) *vi-
ta sedentaria*; virgines ambitionis cupidae laudisque
studiosae, quae nendo et colore vestibus vario et arti-
ficiose intexendo, acum linum trahentem scite
traiiciendo se ita exercent, vt alias longe superent,
omnem curam et cogitationem in eam rem conferunt,
vt cibum interdum capere obliuiscantur; accidit illis igi-
tur idem, quod litterarum studiosis, deficiunt vires
vitales in corpore percurando, hi nimium sedendo et
meditando in malum hypochondriacum, et illae in hy-
stericum malum et in primis circa prima mensium
molimina in chlorosin facile implicantur. Idcirco
virginibus labore quotidiano adsuetis non adeo fre-
quens est chlorosis; sufficiens enim labor plethoram
et minuit, et reliquos humores ab omni tenaci muco li-
berat atque etiam emendat, motus corporis voluntarius
vitali motui semper est adiumento. 3) *Diaetae vitia*;
huc inter alia referenda pessima dementiae consuetudo,
quae in familiis quibusdam honoratioribus quibusdam
olim increbuit, si virgines ad pallorem, quasi elegantiae
et pulchritudinis testem, sibi dedita opera conciliandum
cosmetica in hunc finem composita adhibent, vt suos
Gallia quasi ciues putet eiusmodi facie incretata virgi-
nes; tamquam hic solus color possit commendare et
non naturalia vna oporteat consentiant. Facillime non
solum mendacium constat, sed color arte et medicamine
nocente acquisitus faciem inficit et sanitatem vehemen-
ter laedit. Alia ratio quidem est, si tale quidpiam con-
tingit in puellis et virginibus a constitutione morbosa
et ante chlorosin et illa iam praesente; utrobique ingens
in

in corpus deriuatur noxa, ibi malum praeter alias causas arcessitur, hic vero illud iam praesens vehementer adaugetur. Etenim non nouum est, virginum chloroticarum appetitum ferri tum ad absurdum et inusitata, in edulia, cretam, calcem cet. tum ad usitata quidem, absurde tamen et vitiose, scilicet extra consuetudinem, modum, tempus et quantitatem, e. g. fraga in hieme, cibum noctu cet. Duo proprie sunt nomina, quibus appellatur hic morbus, *pica* et *malacia*; malacia molliem notat et nauseabundum, vagabundum rerum edulium appetitum; pica vero est appetitus deprauatus, nolit alimenta, peccat qualitate et quantitate absurdorum inedulium, est plerumque permanens et fixus appetitus, sie können es nicht lassen, si cupita denegantur, audimus, ich muss sterben, wenn ich dieses nicht bekomme h). Sunt ceteroquin grauidarum affectus: illos ipsos vero in virginibus iunioribus et adultioribus quoque non esse infrequentes, testantur experientia et obseruationes auctorum litteris consignatae. Causa immediata est iudicii debilitas, vnde non resistitur affectui et appetitui, adeoque est deprauatio non ratione actionis, quam ratione phantasiae, et liquet, haec mala, in primis picam, illis accidere virginibus, quae iudicio non admodum pollent et ceteroquin mente laborant, aut sunt moraliter

- b) Vid. HORSTIVS T. I. L. IIII. obs. 5. pag. 199. Rodericus a FONSECA consult. m. VII, 2. conf. 23. Eph. N. C. Dec. II. a. 8. obs. 58. pag. 175. seq Dec. II. a. 9. obs. 114. pag. 192. seqq. LOSSIVS III, 6. 165. SALMVTI III, 86. FORESTVS L. XVIII, cap. VII, pag. 141. M. N. C. Dec. III. a. 6. pag. 148. LENTILIVS in Eteodr. pag. 26. SCHYRIGEN Parthenolog. pag. 178.

ter et vitaliter sensibiles, captiosae et cerebrosaе. Vbi ingenium maturescit et aliquod nanciscitur robur, solent quidem per se haec mala euanescere; sed dolendum, mala ista in plerisque nimis sero, et nisi noxa corpori iam inuecta, deprehendi et animaduerti. Malacia in illis, quibus parentes p^rae nimio amore quaelibet indulgent et conniuent, difficulter attenditur, et quae pica laborant, absurd^a raptim et abscondite deuorare solent. Atque ut vero humores acriores, salini, acidi, orificium ventriculi stimulantes et fermentum adulterantes possint ad veterum mentem accusari, non tamen credibile est, appetitum posse determinari ad certum obiectum magis, quam phantasiam. Praeterea obseruationibus habemus confirmatum, virgines diu antea, est enim interdum malum chronicum, chloroticas in matrimonio grauidas factas praecipue pica aut malacia laborare, harumque filias p^rae aliis per *hereditatis rationem* denuo his malis esse obnoxias. Ita quoque constat, matres hystericas passionibus, cardialgiis, colicis difficultate mensium si frequentius laborarunt, ipsarum filias plerumque aliquot annos ante mensium eruptionem fieri chloroticas i). Ad chloroseos caussas denique adhuc in primis pertinent.

4) *Venae sectiones et scarificationes neglectae.* 5) *Refri- gerationes immodicae*, internae et externae, post fatigations, saltationes, frigidore potu, corporis denudatione; et vel hac ratione virgines plebeiae et rusticae in chlorofin possunt incidere. 6) *Curationes in mensium promotione proprio ausu pellentibus incongruis ànagw-*
susceptae, aliorumque morborum praeposterae medelae, febrium, scabiei, aliarum cutanearum efflorescentiarum
sup.

i) M. N. C. Decad. III, a. 9.

suppressions, obstrunctiones et viscerum laesiones inferentes, vbi ulcerum diu gestatorum inconsideratae consolidationes, chlorosis saepe in veram cachexiam, hydropem et mortem abire adigitur.

§. XXI.

Chloroseos *symptomata*, quorum a capite ad calcem non exiguus mumerus, quum quaedam sint *signorum* loco, iam forent explananda; de illis autem vberius et fusius disputare hic nihil attinet, quia satis nota sunt, egoque omnem mali huius pathologiam non adgressus sum interpretandam. At vero *mamarum* conditio nem seorsim paucis attingere, a fine proposito non erit alienum. Etenim quum in multis chloroticis virginibus mammae occurrant etiam atque etiam laxae et iacentes vt in foetosis, atque in aliis, licet paucioribus, id quod et **HIPPOCRATES** iam consignauit k), lac habeatur, nonnulli et hic veneris caussam deprehendisse arbitrantur. An vero virgines intaminatae in mammis lac habere possint, olim vltro citroque est disceptatum. Lac habet, ergo concepit, ergo vel iam peperit, inferebant tantum non omnes. Απλως autem non verum hoc esse, et virgines castas in mammis lac habere posse, litem omnem variis, licet rariora sint, exemplis componit experientia l). Infantes, pueri, puellae, mares lac interdum praebent, ergo conceperunt? Ad virgines maturas quod attinet, constitutio Carolina criminalis m) dicit: *eine starcke Vermuthung*. - - Vnd soll weiter Er-
E fah-

k) Aphor. XXXVIII. Sect. V.

l) Vid. **GEORGII FRANCK.** de **FRANCKENAV** satyr. medic. XV. vbi fusios de hac materia differit.

m) Articul. XXXVI.

fahrung geschehen. Ergo indicta caussa rebusque omnibus diligentissime necdum cognitis non illico eiusmodi virgo damnanda. Et quod I. T. SCHENCKIVS n) in non grauidis, inquit, vt *in virginibus*, quum lac apparet, *morbi signum* existit, illud ipsum in virginibus chloroticis ita re vera esse solet, siquidem plerumque tantum existit liquor lacteo-aquosus ob corruptos reliquos humores omnes; licet in aliis ceteroquin sanis etiam lac verum esse deprehensum non sit inficiandum. Quae quum ita sint, et res inter medicos hodie non habeat dubitationem, nihil addo praeterea, quam verba THOM. BARTHOLINI, qui „saepe iniuria fit famae innocentium a rerum naturaeque imperitis. - - Venera dies et diligentia felix prosectorum cuncta aperiet, „vt etiam hoc inuento (loquitur de ductibus nouis ad „papillas) puellarum innocentiae consulatur, quae *virgines* esse non desinunt, si cetera integrae sint famae, „quamquam subinde in *sororiantibus mammillis lac habent*. Eaedem quippe viae iunioribus patulae esse possunt, quibus mulieribus turgescentes mammae dulcibus succis, vt loquitur LACTANTIVS de Opific. DEI „cap. XII. distenduntur o).,, E contrario autem a marum flacciditate in chloroticis etiam plane non valet consequentia ad veneris suspicionem, nec crebriori amatorum contrectationi est imputanda. Si chloroticae omni corpore sunt tumidae, et mammae tument, in primis in phlegmaticis et melancholicis; si vero corpus, in primis pedes et brachia languent macie, fieri non potest, quin et mammae fiant laxae et flaccidae.

§. XXII.

n) Dissert. de natura lactis.

o) Centur. III. epist. XXXVIII. pag. 142,

§. XXII.

Ex his igitur omnibus, plerumque longe aliam, quam venerem, chloroseos esse caussam, satis superque dispalescere existimauerim, id quod etiam puellae infra pubertatis annos versantes, veneris plane ignarae, optime contestantur. Et quum etiam non sit ignotum, chlorosin esse *endemium* quibusdam in locis *morbūm*, vti **G O H L I V S** memoriae prodidit, Berolini esse morbum maxime familiarem, atque eo tempore, quo istud ipsum actis Berolinensibus inscribi iussit, septem vna hoc morbo affectas curae suae fuisse demandatas. p) Et in Heluetia cum primis esse frequentem, et quaenam huius rei sit caussa, nos docent ephemerides N. Curiosorum q). Itaque sine vlo possumus negotio inde colligere, quam caute ratione vel huius morbi virginei, nisi certa alia adsint signa, quae illam significant, de venere ferenda sit sententia; quia plerisque in pallido colore, in humoribus et solidis partibus plus est, quam in ipsa mente. Propterea tamen plane non inficias iuerimus esse in chloroticis virginibus interdum, quae clandestina iuuenum cupidine flagrantes, si libidinis explendae non possint fieri compotes, in hunc morbum implicentur reddantque ista libidine in dies grauiorem r). Et in his deprehendimus menses fluentes; amor enim illos auget potius, quam obstruit; si obstruuntur, fit malo v-

E 2

teri-

p) Aet. Berol. Dec. I. Vol. IIII. pag. 50.

q) Cent. Vet. VI. append. pag. 118.

r) cfr. Eph. N. C. Dec. II. a. 9. obs. 114. pag. 187. seq. ubi prolixa chloroseos, ex amore tractatio.

terius procedente humoribus deinde deprauatis, quod si vero menses necdum fluxerint, ingens doloris pruritus in vagina plerumque arida sentitur, licet non semper id libere confiteantur. Harum chlorosis dicitur *febris amatoria*, non quod proprie febris sit, sed tantum analogice, quatenus conuenit cum eadem corporis debilitate palloreque, qui in febribus intermittentibus occurrit, tum etiam quod febris lenta tandem accedat. Atqui eodem modo iuuenes amore flagrantes possunt laborare chlorosi, licet nomen in illis usu non sit receptum.

§. XXIII.

Peruenio tandem ad ultimum dissertationis meae docimasticae momentum, dubium quoddam vexatum, materiam, quae omni aevo altioris inter medicos fuit indaginis. De *molis* dicturus sum s). Non quidem integrum dare earumdem theoriam animus est, sed tantum cogitata mentis eloqui, complicatam notionem euoluere et constituere instituam de controuersia, vtrum molae fine congressu maris et feminae generentur et omnino existant, adeoque vtrum *virgines* illaesa virginitate istas concipere gestare et excernere possint.

§. XXIV.

Si a paucis quibusdam veterum medicorum discesserimus, qui non solum fibi habebant persuasum, sed rationibus confirmare annisi sunt, molarum generationem sine seminis virilis concursu a peculiari mulieris semine, putatitio posito, posse oriri t); tamen tantum non omnes

s) Etymologici varie deriuant hanc vocem; descendere vero a graeco, $\mu\ddot{\omega}\lambda\sigma$ moles seu pondus, est verosimile.

t) Vid. ZACCIIAS in quaest. M. L. L. I. tit. 3. qu. 6.

omnes reliqui HIPPOCRATIS, GALENI et ARISTOTELIS effatis adducti statuere, extra omnem possum esse dubitationem, quae molas extra matrimonium emiserint, castitatis laesae crimine esse omnes accusandas u). At vero si dicendum, quod res est, oppido falso omnes intulerunt, si nulla conceptio fieri potest sine maris et feminae congressu, sequitur, nullam molam sine eodem posse fieri; clarissime enim illico dispalescit, omnes veram omnino conceptionem vehementer confudisse cum molae generatione. Et hac veterum et multorum recentiorum opinione molae descriptiones fere omnes nituntur, ita comparatae, vt, licet aliquem, quia ubique congressum cum mare ponant, saltem non genuinum inde et adaequatum possis formare conceptum x).

§. XXV.

Vt igitur distinctius de molis differere possimus, necessarium esse existimo, vt in earumdem generalem inquiramus differentiam, quippe quae nostrae dissertationi lucem affundet clarissimam. In duas autem potissimum

E 3

mum

u) HIPP. de morb. mulier. §. 97. n. 2. Lib. de sterilit. §. 20.
text. 2. GAL. de vnu part. cap. X. class. I.

x) HIPP. l. c. §. 97. n. 1. et GAL. in methodo L. 14. cap. 13. class.
7. et de vnu part. c. 7. class. I. dicunt: mola est caro inutilis et
informis in utero genita. ARISTOTELES extensius: mola,
inquit, est inchoata foetus formatio, quae ad genus animale
peruenire non potuit. Et ad horum exemplum recentiores
fere omnes. Vid. ROLFINCK diff. de mola, SLEVOIGT diff.
de mola, qui molae genus dicit esse carnem parenchymati-
cam. LOMMIVS, vt a monstris, vni videtur, discernat, est
caro sine visceribus, intestinis et ossibus. cfr. et RODERI-
CVS a CASTRO de morb. mulier. L. 3. cap. 7. LAURENT.
anatom, L. 8. qu. 13.

38. DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS

mum species rectissime et optime omnes diuidi possunt,
nimirum

I. in *veras*, genuinas seu perfectas, quae omnes supponunt ouula e coitu virili foecundata, et vel secundo vel tertio mense quasi per abortum vtero excreta; nam a proprio abortu haec excretio est diuersa, foetus abortiuus cum secundinis pro congruente sibi portione aequaliter vsque ad excretionem succreuit. Haec verae molae a quibusdam dicuntur molae *generationis*. Sunt autem iterum

1) *simplices*; mola simplex est, vbi foetus statim a conceptione suffocatus et omnis funditus ita deletus est, ut eiusdem stamina cognoscere possis nulla, sed secundinae solae in molem quandam succreuere.

2) *Praegnantes*. Mola autem praegnans est, vbi secundinae foetum ob interruptam nutritionem mortuum seruant quidem inclusum, ipsum autem foetum, vtpote suo incremento priuatum, non congruente magnitudine superant.

II. In *spurias*, nothas, pseudo-molas, et harum longe alia indeoles est et natura; haec enim sine coitu, sine semine virili oriuntur, ideoque a nonnullis nominantur molae *nutritionis*. Molae spuriae per se oriuntur vel a sanguine coagulato, vel ab ouulis *subuentaneis*, hoc est, maturis quidem, sed non e coitu virili foecundatis, motu tamen extraordinario ex ouario in vterum delatis, quae per humores spirituosos in vtero contentis non solum a corruptione praeseruantur, sed etiam inde, dum vteri substantiae firmiter adhaerent, nutritionem et augmentum nanciscuntur.

§. XXVI.

§. XXVI.

Ex his igitur, quae haetenus de molarum differentia differuimus, patet, *molam veram esse secundinam informem*, in qua conceptus foetus aut plane evanuit, aut mortuus augmento priuatus continetur. Beyrus dicit: *molae verae et proprie sic dictae nihil sunt aliud, quam ouula male foecundata et concepta, nec sufficienter ad organicum hominis corpus reddendum informata* y). Etenim in veris molis semper tale quidpiam inuenitur, quod foetui, saltem eius partibus aut secundinis est simile, licet ab obstetricibus raro idem animaduertatur z). *Molae spuriae* autem sunt vteri et partium connexarum concrementa diuersimode structa et mutata, verum actum generationis mentientia, quae aut desiderio cohabitandi, aut aliis caussis internis vel externis violentis originem debent.

§. XXVII.

Molarum caussae variae quidem sunt, missis quidem in praesentia illis, quae solum in maritatis locum habent, dicam pauca de generaliori occasionali, praecipua ac disponente, humorum abundantia seu plethora. Ob multas circumstantias plethora diu sana non manet, degenerat facillime in spissitudinem aliaquae hinc dependentia vitia. Oriuntur postea impurae congestiones, praesertim illis in locis, quae, sicuti uterus, p[re]e aliis congestionibus patent. Menses sunt in virginibus signum pubertatis, simul concipiendi et generandi inferunt habitudinem, si sunt legitimi et ordinati. Est enim sanguis menstruus eo destinatus, vt et illis succo nutritio fo-

y) vid. Aet. phys. M. N. C. V. III. pag. 43.

z) conf. VATERI dissert. de mola praegnante, i. e. secundina; foetum continentem, in molam versa abortus caussa.

40 DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS

foetus conceptus nutritus ad sui perducatur maturitatem. Si vero sanguis est superfluus, superfluus etiam est plerumque succus nutritius. Quas turbas vel plethora sana in mensium negotio facessat feminis non gravidis non ignoramus. Quemadmodum vero plethora sana, nedum vitiosa, non semper placidum et ordinatum seruat circuitum, ita uterus in sexu sequiori promptius eius vitio vexatur. Quum autem virgines ratione fluxus menstrui iisdem, quibus maritatae extra grauiditatis tempus, obnoxiae sunt mutationibus, quas plethora, in primis vitiosa, spissa, acris, tenax, catarrhosia, animi pathemata, terror, ira, abdominis contusiones, lapsus, insignes inferiorum refrigerationes, reliqua, inferunt, facile dispalefecit, si modum fiendi cogitauerimus, omnes has caussas mensium fluxum turbare et ataxiam fluxus superflui, imminuti vel obstructi efficere, adeoque, id quod nemini dubium videbitur, spuriis seu pseudo-molis e reliquiis sanguinis grumosi, fibrofi et coagulati struendis dare posse ansam. Menses sunt caussa praecipua et disponens etiam in molis virginum. Et eiusmodi virgines postea sub matrimonio prae aliis etiam molis veris sunt subiectae. Ita LENTILIVS recentissimo exemplo feminae aliquot molas excernentis, significat, ipsam ante matrimonium menses numquam habuisse ordinatos, a) et RIEDLINVS casum de mola peculiarem vbi explicuit, addit: quae virgines multum sanguinis per uterus profuderunt, prae aliis molae gestationi sunt obnoxiae b).

XXVIII.

a) In miscellan. P. II. pag. 530.

b) in millenar. observ. pag. 153. plethoram molarum esse causam, testantur veteres obseruatione, nullo exemplo constare, animantia excernere molas, quia non sunt menstruata.

§. XXVIII.

Ad molae generationem ex ouulo quod attinet, forte plerique omnes contendent, illam in virginibus plane non habere locum, sed in maritatis et illis, quae extra matrimonium furtiuā usae sunt venere. Evidem vero quum tamen id fieri posse mihi sumserim affirmare, quaeritur omnino, qui fiat, ut virgines sine concubitu, sine virginitatis physicae laesione molam ex ouulo concipiāt ac generent? Virgines generationis organis, ouariis praeditae sunt, annis pubertatis et habitudine concipiendi et generandi gaudent, cuius rei mensēs perhibent locuples testimonium. Inde ab annis pubertatis huinorum et sanguinis adfluxus ita affecit, ut ouula matura, auēta et idonea sint facta, quo data occasione ex ouario per tubas Fallopianas in vterum queant deferri. Complurium sententia fieri aliter non potest, quam sub congressu et motu illo, qui ouulo maturo per auram viri seminalem inditur; euenire autem hoc posse sine congressu, facile cogitando valemus assequi sub concursu caussarum occasionalium, commotionum et congeftionum sanguinis ad ouaria et vterum, quae e restagnatione sub tumultuariis mensium anomaliis contingunt. Interea non inficiamur, plurimum hac in re conferre tales orgasticas congestiones, quas in partibus genitalibus voluptuosae animi cupiditates, desiderium coēundi, lectio librorum, qui de rebus venereis et amatoriis agunt, producunt. Etenim virgines in partibus genitalibus internis naturales veneris stimulos sentiunt, quibus re vera ita afficiuntur ouaria, ut ouulum quoddam matrum dimoueatur, et simul in tubis Fallopianis eo tempore se exserit motus dilatatorius et attractorius pro ouulo di-

F

lo di-

lo dimoto recipiendo, quo facto fit in iisdem motus contractorius, vt hinc liberius in vterum possit egredi. In maritatis aliisque, quae furtiva venere vtuntur, haec omnia facilius quidem sub congressibus et promptius fieri, verum est; sed nisi id simul peculiare actus *κρεμα*, vti vocat CLEMENS ALEXANDRINVS c), efficeret, quod mentem et corpus mirum afficit, patet, solum congressum per se non sufficere. Quam vehemens au-
sem sit eiusmodi *κρεμα*; quem motum et turbinem irri-
tet in animo et sanguine, in partibus genitalibus ea-
rum virginum, quae sunt libidinis cupidiores et curio-
siores et congressus gaudia meditantur illumque audis-
sime mente complectuntur, coniicere possumus, vt
plura hic addere nefas sit. Et nisi ista ouula subuentanea vel sponte vel cum sanguine menstruo nimio saepi-
us postea ex vtero eiicerentur, habeo mihi persuasum,
plures nobis suppeterent in praxi obseruationes, talia
ouula subuentanea in virginibus falacioribus molarum
concrementis dedisse rudimenta. Egregie haec confir-
mat beati COSCHWITZII obseruatio, quam exhibet in
dissertatione hic Halae habita de virgine LIII. annos
nata hydropica vteri mola simul laborante, c. 13 CC XXV.
in qua sententiae nostrae in omnibus cum primis adsti-
pulatur. Obseruatio autem, quam in dicta dissertatio-
ne communicauit, haec est. Virginem XVI. annos na-
tam, veneno sublatam, cultro anatomico subiecit eum
in finem, vt signa virginitatis physica diligentissime co-
gnosceret et ad viuum refecaret, integra et illae-
fa

c) Paed. L. II. cap. 6.

sa deprehendit omnia, nec ullam etiam vita ante acta mouit congressus illiciti suspicionem. At vero in ouario dextro ouulum subuentaneum inuenit, tubam Fallopianam ingressum, petiolo cum ouario adhuc coniunctum et sedis olim suae locum in ouario cicatrice obductum indicante, id quod, ut recte arbitratur, proxime ante mortem sine dubio cupidiori congregandi desiderio contigit, et si vita superasset virgo, data porro caussa occasionali hoc ouulum vterum ingressum molae concremento posuisset fundamentum.

T A N T V M!

Pag. 5. lin. 13. nulla: lege, *nullus*, pag. 10. lin. 2. deprendit: lege, *deprehendit*.



F 2

VIRO

VIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
MEDICINAE DOCTORANDO
S. D. P.
P R A E S E S.

Non quidem nostra in musarum sede, sed in vicinia Academia, quae Lipsiae floret, curriculum studiorum Tuorum absoluisti: attamen **TIBI, PRAE-**
NOBILISSIME DNE CANDIDATE, deesse nolui, quin omnia, de qui-
bus testimoniis fide dignis certior factus sum, Tuas in laudes conferrem. In-
stitutionibus nimirum Celeberrimorum Virorum usus es, quorum memoriam
deuoto animo merito colis. Postquam enim in inferioribus scholis ad altiora
fatis fuissi praeparatus, soli *Chirurgiae* Te dedicare rationibus domesticis com-
modum videbatur, quo respectu manuductione D. GÜNZII *Anatomiae*, *Chirur-*
giae complicataeque arti fascias applicandi, omnem dedisti operam. At per-
specto postea intimo nexu, qui medicinam et chirurgiam intercedit, illam huic
coniungere nonsolum animo concepisti, sed propositum quoque ad felicem finem
perduxisti. Dum strenuo labore per quinquennium medicas diligentissime fre-
quentasti scholas, nimirum *philosophicas* ad artem salutarem necessarias docente
D. WINCKLERO, *physiologicas* et *pathologicas* praeceptore D. LUDWIGIO,
botanicas et *materiae medicae*, commentatore D. BOSIO, *chemicas* et *therapeu-*
ticas explicatore D. RÜDIGERO. Neque Tuo scopo alienum esse iudicasti, cogni-
tionem *medicinae forensis* interprete D. HEBENSTREITIO, *artis obstetricato-*
riae encheires praebente D. IANCKIO, fatorum *medicinae* enarrante D. GLA-
ZIO et *aphorismorum Hippocraticorum* sensum tradente D. BOHLIO, Tibi
comparare. Quibus Doctoribus omnibus optime eruditus ac doctus, fieri non
potuit, quin Ordini nostro Medico in tentamine pariter ac in examine rigoroso
satisfeceris et hinc dignus summorum in Medicina honorum Candidatus iudicatus
fueris. Quae singula Tibi sincero animo Gratulor. Fruere itaque Tuis meri-
tis, maete nouo honoris incremento et in multorum aegrotantium
salatium viue diu feliciter. Dabam Halae die XVI.

Octobr. MD CC LXI.

QXIV



Miscell met 98

